

## *Properz 3,16*

Nox media, et dominae mihi venit epistula nostrae:  
Tibure me missa iussit adesse mora,  
candida qua geminas ostendunt culmina turres,  
et cadit in patulos nympha Aniena lacus.  
quid faciam? obductis committam mene tenebris       5  
ut timeam audacis in mea membra manus?  
at si distulero haec nostro mandata timore,  
nocturno fletus saevior hoste mihi.  
peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:  
in me mansuetas non habet illa manus.       10  
nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes:  
Scironis media his licet ire via.  
quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,  
nemo adeo<sup>1</sup>, ut feriat, barbarus esse volet.  
luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,       15  
ipse Amor accensas praecutit ante faces,  
saeva canum rabies morsus avertit hiantis:  
huic generi quovis tempore tuta via est.  
sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis  
improbus? Exclusis<sup>2</sup> fit comes ipsa Venus.       20  
quod si certa meos sequerentur funera cursus,  
tali mors pretio vel sit emenda mihi.  
afferet haec unguenta mihi sertisque sepulcrum  
ornabit custos ad mea busta sedens.  
di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti       25  
qua facit assiduo tramite vulgus iter!  
post mortem tumuli sic infamantur amantum.  
me tegat arborea devia terra coma,  
aut humer ignotae cumulis vallatus harenae:  
non iuvat in media nomen habere via.       30

<sup>1</sup> adeo ... feriat *CIL IV 1950 (inscr. Pomp.)* : deo ... noceat *codd.*

<sup>2</sup> exclusis fit *codd.* (*Barber, Camps, Richardson, Flach; cf. Tibullus 1,2?*) : †*exclusis*†  
*Fedeli* : improbus, et cuius sit comes ipsa Venus? *Palmer (Luck<sup>2</sup>, Goold, Viarre, Heyworth)*